



### III. De iudeis in quo differant a nobis.

- 1) SEquitur de iudeis, qui magis distare uidentur a salute quam christiani orientales heretici pro eo, quod nec intellectum legis Dei habent, nec legem plenam. Non enim recipiunt nouum testamentum.
- 2) Causa uero est, quia expresse et manifestissime continet illa duo, in quibus discordant a nobis, immo a ueritate:
- 3) Unum est quia dicunt, Christus nondum uenit, et non est completum tempus promissionis.
- 4) Aliud est quia dicunt, quod non erit uere Deus uel Filius Dei. Unde circa ista duo precipue oportet fratres qui mittuntur esse munitos de testu ueteris testamenti solum.
- 5) 'Christus uenit.' Circa primum sciendum est, quod Christus iam uenit, quod patet precipue ex tribus, que sunt in prophetia Iacob, reuelacio Daniel, et experientia captiuitatis.
- 6) Iacob igitur patriarcha prophetauit expresse dicens Gen. penult. [49,10]: «Non auferetur 'scepturn' de Iuda et dux de femore //229r// eius, donec ueniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium». Et utrumque iam factum et completum est. Nam et regnum iudeorum defecit, et ad fidem gentes Deus uocauit. Hanc auctoritatem, scilicet «Non auferetur scepturn de Iuda» etc. aliter ponit<sup>(1)</sup> Augustinus libro 16. De ciuitate Dei capitulo 44,<sup>(2)</sup> de qua infra clarius ostenditur.<sup>(3)</sup>
- 7) Et notandum, quod quasi ubicumque Scriptura manifeste predicit incarnationem uel aduentum Christi, statim adiungit execrationem iudeorum uel uocationem gentium; nam post aduentum Christi nec regna habuerunt nec regem etc. Ibidem glosa: «Ostendant iudei regem uel ducem, uel confiteantur Christum uenisse».<sup>(4)</sup>
- 8) Nam iudei primo habuerunt patriarchas, secundo iudices, tertio reges, quarto duces et rectores populi temporales et spirituales, summos sacerdotes, qui populum rexerunt, usque ad Herodem Ascalonitam. Qui fuit ydumeus et factus est proselitus et se

circumcidit propter uxorem iudeam quam accepit Mariannem. Quo tempore natus est Christus. Postquam nec regem habuerunt nec ducem generalem nec iudicem etc.

### ‘Responsio iudeorum’

9) Respondent iudei et dicunt, quod etiam ante aduentum Christi fuit interruptum aliquando regnum iudeorum, quia aliquando fuerunt sine iudice, ut patet in libro Iudicum, et aliquando sine rege, ut patet in quarto libro Regum 11[,4-20], II. Par. 23[,1-21].

### ‘Solucio’

10) Et dicendum, quod non fuit ablatum regnum, sed fuerunt aliquo breui tempore sine rege uel iudice propter peccata. Unde dicitur in libro Iudicum [chap. 17, 18, & 21]: «In diebus illis non erat rex uel iudex in Israel etc», et statim quando conuertebantur, prouidebat eis Dominus etc. Auctoritas autem inducta de Iacob loquitur de ablatione regni, unde dicit: «Non auferetur sceptrum de Iuda» etc. Modo uero totaliter est ablatum iam sunt mille cccti anni. Unde non potest dici breue tempus, quia et longo tempore et uniuersaliter et ubique; unde manifestum est Christum uenisse.

11) Secundo hoc idem, scilicet quod Christus iam uenit, manifeste patet per reuelationem Daniel 9[,23-24], ubi aperte reuelatum est ei determinatum tempus, scilicet «ab exordio orationis sue usque ad lxx. ebdomadas» annorum scilicet. Et percurrente ystorias<sup>(5)</sup> et tabulas, tantum tempus fuit a Daniel usque ad Christum.

12) Et //229u// sciendum quod primo ponit lxx ebdomadas, secundo vii, tertio lxii, sed non loquitur de eodem. Ita exponit Petrus Anfusi: <sup>(6)</sup> Nam prime lxxa locuntur de aduentu Christi et passione et destructione Ierusalem per romanos etc. Secunde vii, ubi dicit «Usque ad Christum ducem ebdomadas vii», non dicit de eodem Christo sed de Cyro, <sup>(7)</sup> quem Deus appellat christum, Is. 45[,1]. Cuius scilicet precepto cepit reedificari Ierusalem. Fuit enim tempus ab oratione Danielis usquequo precepit Cyrus, quod reedificaretur Ierusalem, quadraginta nouem annorum, quod sunt vii septimane etc. Unde post vii septimanas ab exordio orationis Danielis precepit

Cyrus, quod reedificaretur Ierusalem. Et post istas vii lxii ebdomade, et tunc uenerunt romani ut destruerent Ierusalem. Et obsederent eam vii annis, que sunt una septimana, quam septimanam diuidit in duas partes, quia tunc «defecit sacrificium et hostia, et destructa est Ierusalem», et complete sunt lxx septimane, scilicet septem et sexaginta due et una.

13) Et premittit minorem numerum ante maiorem more hebreorum. Nam quando dicimus uiginti duo, ipsi dicunt duo et uiginti. Omnes autem ille lxx septimane complete sunt in destructione Ierusalem per romanos et destructione templi; ergo tunc iam uenerat Christus.

14) Completum est igitur tempus et iam uenit Christus.

15) In aduentu[m](8) enim Christi ablatum est regnum, translatum sacerdotium, mutatum est sacrificium, et uocate sunt gentes ad fidem.

16) Nam primo deficit in eis iustitia et ueritas, et perdiderunt regnum, et factus est rex estraneus, scilicet Herodes Ascolonita. Et tunc natus est Christus rex iustitie et ueritatis.

17) Secundo deficit hostia, et destructum est templum. Et tunc translatum est sacerdotium. «Translato autem sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat» [Heb. 7,12] etc. Et hoc est, quod subtiliter prosequitur Apostolus Heb. 7[,1s] dicens: «Hic enim Melchisedec» etc. Unde patet Christum uenisse, qui fuit rex et sacerdos «secundum ordinem Melchisedec», «cui decimas dedit Habraam» etc. Ipse autem Christus in ascensione sua precepit discipulis suis dicens: «Euntes docete omnes gentes» [Mt. 28,20] etc.

18) Tertio hoc idem patet, quod Christus iam uenit, patet(9) //230r// per experientiam uniuersalis et longe captiuitatis iudeorum. Nulla enim alia causa potest redi, nullum aliud peccatum potest inueniri in iudeis, quod sit causa presentis captiuitatis, que fuit tam contumeliosa, tam periculosa, tam uniuersalis, tam longa, que iam durauit fere Mcccctis annis, quam quia negauerunt Christum et occiderunt.

19) Et quidem prius aliquos prophetas occiderant prius, ut Isaias, Zacharias, Ezechiel etc.; et fuerat in eis inuidia, calumpnia, usura, oppressio innocentum, et alia peccata et scelera multa, Ier. 5[,1]: «Circuite uias» etc., propter que fuerunt captiuati in Babilonia. Que captiuitas uel transmigratio 'Ier. 29, Dan. 9.' non durauit nisi lxx

annis, donec deficeret illa generatio, que peccata commiserat.

20) Peccatum uero de occisione Christi in infinitum fuit grauius aliis peccatis prioribus. Nec deficiente illa etate terminatus est reatus captiuitatis, quia filii et nepotes eorum adhuc sunt in eadem perfidia, nec terminabitur captiuitas, nisi reuertantur ad Christum.

**Quod autem occisio Christi sit causa presentis captiuitatis, patet dupli ratione.**

21) Primo quia nullum nouum scelus inuenitur in eis, quod ante non commiserint preter hoc solum.

22) Secundo patet, quia cum expectati fuerint per quadraginta annos, in illis xl annis audite sunt uoces in templo, et apparuerunt portenta prenosticantia futuram cladem et destructionem templi, ciuitatis, et regni etc. Et quando defecit populus iudeus a fide Christi, uocauit Deus nouum populum ad fidem, scilicet gentes et paganos ad fidem. Et «quando `in` omnem terram exiuit sonus apostolorum» [Rom. 10,18] de Christo incarnato et passo, tunc per omnem terram dispersum est omne genus iudeorum. Et audiunt ab extraneis illud quod legunt in libris propriis, quia «iam uenit plenitudo temporis» [cfr. Gal. 4,4] etc.

23) Preterea expressimum signum, quod Christus uenit, est cessatio prophetie. Mt. 11[,13]: «Lex et prophetie usque ad Ioannem». Nam usque ad Iohannem filium Zacheriae perseuerauerunt prophete prophetantes Christum esse uenturum. Iohannes autem non tam predixit uenturum, quam demonstrauit presentem, dicens: «Ecce agnus Dei» [Io. 1,29] etc. Sed post eum nullus omnino propheta fuit, qui diceret Christum uenturum. Fuerunt tamen postea quidam prophete, qui predixerunt quedam alia, ut Aga//230u//bus, qui prophetauit de fame futura etc., Act. 21[,10ss]. Et sic patet primum in quo iudei differunt a nobis, quia dicunt quod nondum uenit Christus, nec est completum tempus.

**Iterum de iudeis.**

24) SEquitur secundum, scilicet quia dicunt, quod non est uerus Deus uel Dei Filius, sed purus homo.

25) Quod autem ipse Ihesus sit uerus Deus ita clarum est in nouo testamento per uerba et per opera, quod nullus est, qui rationabiliter ualeat negare.

26) Sed quia ipsi non recipiunt nouum testamentum, ut dictum est, oportet quod eis probetur per scripturam ueteris testamenti. Et hoc est ualde difficile propter tria.

27) Primo quia ipsi nolunt credere, nec per se possunt intelligere, nam in Is. 7[,9] secundum aliam litteram(10) dicitur: «Nisi credideritis, non intelligetis».(11)

28) Secundo quia sunt a Deo excecati, Is. 6[,10]: «Execa cor populi huius».

29) Tertio est difficile propter diuersas translationes, quia non concordant frequenter antique translationes et maxime lxx cum hiis, que habemus in nouo testamento, nec etiam cum hebraica ueritate. Nam sicut dicit Ieronimus in prologo "Desiderii mei": «Ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt».(12) Uoluit etiam Deus, quod celaretur mysterium diuinum in Christo, donec passio completeretur. «Si enim cognouissent, numquam Dominum glorie crucifixissent». [I Cor. 2,8] Nec tamen iudei totaliter excusantur ‚propter ignorantiam` , quia fuit ignorantia «ex odio et inuidia, quam habuerunt ad Christum» etc.

30) Quod autem Christus sit Deus, uidetur maxime expressa auctoritas Is. 9[,6]: «Paruulus natus est nobis», et post: «Et uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus» etc.

31) Sed iudei dicunt, quod in hebreo non habetur ita. Sed ubi nos habemus passiuem «uocabitur», ipsi habent actiuem «uocabit nomen eius» etc. Et est sensus, quod ille qui est «admirabilis, consiliarius, Deus, fortis» etc., «uocabit nomen eius»; et accipiunt de Ezechia. Uerum(13) alia translatio(14) non habet illa sex nomina, sed habet «Et uocabitur magni consilii angelus».(15)

32) Sed sequentia uerba nulli homini puro conueniunt, sed soli Deo, scilicet: «Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis. Super solium Dauid sedebit et super regnum eius, ut confirmet illud et corroboret in iustitia et iudicio ad modo et usque in sempiternum».

34) Item idem Is. 25[,9] loquens de Christo uenturo dicit: «Ecce Deus noster iste. Expectauimus eum, et saluabit nos» etc. Et sciendum, quod ista est expressa et manifesta confessio deitatis in Christo. Nec potest dici, quod non sit ita in ebraica ueritate, sicut dictum est superius //231r// de alia.

35) Sed non propter hoc expresse conuincuntur iudei de deitate Christi ut nunc, quia Glossa(16) ibi` expresse exponit de notitia et confessione deitatis Christi, que erit post resurrectionem et diem iuditii. Unde preponitur ibi [Is. 25,8]: «Et precipitabit mortem in sempiternum». Et preponitur ibi «De conuiuio uite eterne». Et sequitur «De cantico cantando ibi» et «De pace promissa», que tunc adimplebitur, sicut infra melius patebit. Hec dicta sunt, ne fratres confidant de apparentia actoritatum, quas non intelligunt etc.

36) Preterea Mich. 5[,2]: «Et tu Betlehem Effrata, paruulus es in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dux(17) in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus eternitatis» etc. Ista autoritas ostendit aduentum ex tempore, et egressum uel perpetuitatem in deitate.

37) Preterea Ps. ille: «Deus iudicium tuum regi da», [Ps. 71] certissime de Christo scribitur. Multa uero, que ibi ponuntur, nulli conuenire possunt nisi soli Deo. Sicut illud: «Permanebit cum sole et ante lunam» [Ps. 71,5] etc.; «Et ante solem permanet nomen eius»; [Ps. 71,17] «Et adorabunt eum omnes reges terre» [Ps. 71,11] t <sic(18)> etc.; «Et replebitur maiestate [eius](19) omnis terre» [Ps. 71,19] etc. Et multa similia continentur in Sacra Scriptura, ita quod pauciora sufficerent homini uidente et accedenti, et multo plura non sufficerent populo ceco et reprobato a Deo; Is. 6[,10]: «Excea cor populi» etc.

38) Item sicut dicit Ieronimus(20) super loco illo Mt. 22[,42], ubi Christus quesuit a iudeis: «Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est» etc.; quod usque hodie proficit nobis hec interrogatio contra iudeos, qui ponunt Christum solum hominem quamuis sanctissimum. Quomodo «Dauid in spiritu uocat eum dominum suum», [Mt. 22,43] non erroris incerto, nec propria uoluntate, sed in Spiritu sancto.

39) (21)Et respondunt iudei fabulantes uernaculum Habrae, cuius filius erat Damascus Eliezer, in cuius persona dicunt ipsum Psalmum esse componitum etc., quando ipse Habraham reuersus est a cede quattuor regum, Gen. 14.; ita dicentes, quod Dauid appellat Habraam dominum suum, non Christum, et quod Psalmus [109](22) scriptus est

in persona Habrahe, non Christi.

40) Cuius contrarium ostendit Hesdras in titulo illius Psalmi dicens «*Psalmus Dauid*» datue; et Augustinus *De ciuitate Dei* 17, 14.(23)

41) Preterea interrogandi sunt, ut dicit Ieronimus,(24) quomodo sequentia uerba conueniant Habrahe: «*Tecum principium*» etc., «*Ante //231u// luciferum genuit te*», [Ps. 109,3] et post: «*Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedec*». [Ps. 109,4] Quomodo fuit sacerdos Habraham secundum ordinem Melchisedec, qui dedit Melchisedec decimas omnium, que possederat etc. Et postea subiungit: «*Dominus a(25) dextris tuis*» etc. «*Nec ausus fuit aliquis ex illa die eum amplius interrogare*» [Mt. 22,46] etc. Ostendit igitur Christus se esse uerum Dominum uerbis et factis dicens: «*Si mihi non uultis credere, operibus credite*», et remisit iudeos ad scructinium scripturarum dicens [Io. 5,39]: «*Scrutamini scripturas, quia ipse sunt, que testimonium prohibent(26) de me*». Completum est igitur in iudeis illud, quod Dauid prophetauit dicens: «*Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*» [Rom. 11,9] etc.

42) Et notandum, quod sex fecit Deus quasi eodem tempore et ordine, quo de ipsis fuerat prophetatum, que ostendunt Christum uenisse et uerum Deum fuisse. Et hec durauerunt continue iam fere Mille trecentis annis.

43) Hec autem sunt ablatio regni iudeorum, exceccatio ipsorum, incarnatio et aduentus Christi, uocatio gentium, destructio templi, et uniuersalis captiuatio ipsorum iudeorum.

44) De primo, scilicet de ablatione dominii, ostensa est supra prophetia Iacob, et usque nunc ostenditur experientia.

45) De secundo, scilicet de incarnatione, uolens Isaias ostendere primo premisit excecationem iudeorum dicens, Is. 6[,10]: «*Exceca cor populi huius*» etc. Et statim sequitur de incarnatione Christi, Is. 7[,14]: «*Ecce uirgo concipiet*». Et post de natuitate Christi 9. capitulum [,1-2]: «*Primo tempore*» etc., ubi statim adiungitur uocatio gentium: «*Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem*».

46) Item Is. 34[,1]: «*Accedite gentes*». Item Is. 55: «*Omnis sitientes uenite ad aquas*». Et post: «*Ecce gentem quam nesciebas, uocabis*». [Is. 55,5]

47) Item Is. 60: «Surge illuminare Ierusalem» etc. per totum de uocatione gentium et reprobatione iudeorum.

48) Destructio autem templi, quod est quintum, et captiuatio populi iudeorum, quod est sextum et ultimum, manifesta est toti mundo, pro eo quod non erat in mundo templum ita sollempne, nec ita nominatum; nec fuit ab initio mundi populus ita dispersus, sicut est populus iudeorum. Nam //232r// ab India usque in Yspaniam,(27)per omnia regna gentium disseminati sunt. Et completum est illud dauticum [Ps. 105,35]: «Et commixti sunt inter gentes». Et sic patet contra iudeos, quomodo conuincuntur dicere, quod Christus iam uenit, et quod ipse est uerus Deus.

### **Obstinatio iudeorum et ea, que inducunt contra ueritatem.**

49) IUdei uero in sua cecitate durantes conantur predicta soluere et etiam quedam alia de scripturis contra catholicam ueritatem adducere, quibus in sua obstinatione perdurent.

50) Ponemus igitur primo obiectiones eorum ad predicta, ut pateat omnibus, quam irrationabiliter mouentur et non solum ignorantia, sed etiam ex certa malitia ueritatem relinquent. Secundo ponemus alia, que communiter inducunt contra incarnationem. Tertio solutionem omnium.

### **Contra illud «Non auferetur sceptrum de Iuda».**

51) PRimo itaque euacuare nituntur illud, quod dictum est prius de illa prophetia Iacob, Gen. penultimo: «Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat» etc. Et Glosa, que ibi est, dicunt esse falsam, id est quia falsum dicit. Ait enim Glosa(28): «Tam diu fuerunt reges de tribu Iuda, donec Christus de uirgine nasceretur». Hoc uidetur iudeis omnino falsum.

52) (29)Nam ultimus rex, quem habuerunt iudei de tribu Iuda, fuit Sedechias, quem Nabuchodonoser cepit in Reblatta, et in oculis eius occidit omnes filios eius, et cecum duxit captiuum in Babilone, s(30) IV Reg. ultimo [25,1ss] et Ieremias ultimo. [Ier. 52,1] Hic Sedechias precessit incarnationem quingentis annis uel circa, et post eum nullum regem habuerunt iudei usque ad Herodem alienigenam ydumeum, qui fuit eis datus per uiolentiam et potestatem romanorum.

Quo tempore natus est Christus.

53) Habuerunt tamen Aristobolum, Alexandrum, et Hircanum circa incarnationem Christi, sed illi non fuerunt de tribu Iuda, ut infra patebit. Ergo cessauit rex ex iudeis et precipue de tribu Iuda quingentis annis ante incarnationem.

54) Habuerunt tamen post Sedechiam duces paucos et breui tempore, scilicet Zorobabel et Salatiel de tribu Iuda, Esdr. 3[,2ss] et Agg. 1. Et post illos rexerunt aliquando populum Machabei, scilicet Mathatias et filii eius. Sed illi nec fuerunt uere reges, nec de tribu Iuda, sed fuerunt duces et sacerdotes, scilicet de tribu Leui, I Mach. //232u// 2. Nam Mathatias de tribu Leui genuit Simonem, Simon autem genuit Iohannem Hircanum, Iohannes Hircanus genuit Aristobolum et Alexandrum. Aristobolus autem assumpsit sibi dyadema, occisa matre que regnabat. Cui Aristobolo successit Alexander frater ipsius, constitutus rex ab uxore eiusdem predicti Aristoboli. Post Alexandrum uero regnauit Alexandra uxor ipsius. Hec habebat duos filios de Alexandro, scilicet Hircanum primogenitum et Aristobolum. Pretulit igitur Alexandra Hircanum primogenitum(31) et designauit eum pontificem et regem, et precessit Aristobolum. Cuius causa indignatus Aristobolus contulit se ad auxilium romanorum, et missus est Pompeius in Iudeam. Qui fecit eam tributariam et stabulauit templum. Exinde factus est Herodes Ascalonita(32) a romanis rex Iudee. Et hec omnia habentur aperte in Historiis Scolasticis in principio noui testamenti; et Augustinus De ciuitate Dei libro 18 capitulo 45.(33) Igitur Christus aut nondum est incarnatus, quod tenent iudei, aut oportuit eum uenire quingentis annis ante quam ueniret, quod nullus omnino dicit.

### Contra Danielem quid dicunt de septimanis.

55) [S]Ecundo arguunt contra illud, quod dictum est supra de septimanis, Dan. 9. Primo dicunt, quod Daniel non fuit propheta licet bonus et ueridicus. Et quedam dixit et dicta sunt ei, que non intellexit, sicut ipse ibidem dicit. Quedam etiam dixit et fecit non spiritu prophetico ut dicunt. Et hoc patet per Ieronimum in prologo. Aliqua etiam habemus in eo, que non sunt in hebreo. 'Unde et Ieronimus dicit in prologo,(34) «quod multum a ueritate discordat, et recto iuditio repudiatus sit.» Sed hoc intellige ut dicit secundum translationem lxx, ut Ieronimus dicit.'

56) De septimanis autem specialiter dicunt, quod non sunt complete, quia non fuerunt septimane annorum sed iubileorum uel centenariorum. Et dicunt, quod in nullo loco Sacra scriptura posuit diem pro anno uel accepit annum pro die, nisi in 4. Ezechiele, [Ez. 4,6] ubi per semetipsam exposuit dicens: «Diem pro anno, diem, inquam, pro anno posui uel<sup>(35)</sup> dedi tibi». Hic autem scriptura non exposuit, ut annum acciperemus pro die. Et ideo ita possumus accipere iubileum uel centenarium sicut annum pro die, et precipue cum «apud Dominum mille anni sicut dies externa, que preteriit» [Ps. 89,4].

57) Unde iudei et si concedunt, quod Christus natus est, dicunt tamen quod nondum uenit, id est nondum apparuit, quia scriptura Sacra //233r// differentiam magnam uidetur facere inter eius nativitatem et ipsius apparitionem. Hab. 2[,3]: «Ecce apparebit in finem et non mentietur, si moram fecerit, expecta eum». Dicunt igitur Christum natum fuisse, quando destructum fuisse templum a romanis uel post a caldeis, sed adhuc latitat uel in paradiſo terrestri, uel in insulis remotis. Et quidam dicunt eum latitare Rome inter leprosos, sed apparebit in fine mundi. Et hoc habetur expresse in Talmud.<sup>(36)</sup> `Hic et ubique Thalmut inducite contra eos tantum.`<sup>(37)</sup>

58) Sed istud nec apparentiam habet. Quid enim rationis potest habere, quod Christus sit natus iam sunt mille trecenti anni et nondum uenerit, id est nondum apparuerit uel manifestatus sit? Numquid potest dici, quod nondum habet etatem portandi arma,<sup>(38)</sup> aut oporteat eum discere litteras, ut sciat melius quid debeat in proprio dicere? Sed hoc clarius dicetur infra.

## **Quid dicunt de captiuitate presenti.**

59) Tertio impugnant illud, quod dictum est contra eos de captiuitate presenti. Concedunt quidem, quod hec captiuitas excedit alias omnes captiuitates et calamitates, in quibus unquam fuerunt, non quia Christum occiderint, nec quia peccata maiora commiserint quam prius, sed quia iterauerunt peccata preterita et solita post ampliora beneficia. De eo quod fuerant reducti de captiuitate babilonica, et reedificatum templum, et restitutum sacerdotium, et redditum pax et cetera talia, fuit maior contemptus et maior ingratitudo eadem iterare peccata. Unde et iuste modo puniuntur grauius etiam pro peccatis equalibus pristinis uel pro peccatis parentum. Et ideo dicunt, quod

longa captiuitas et magna calamitas, quam patiuntur, non est causa sufficiens ad probandum Christum uenisse et ab eis occisum fuisse.

### **Alia que inducunt de scripturis, quod non uenit.**

60) Huius etiam addunt quedam de scripturis sanctis, ex quibus directe probare contendunt, quod Christus nondum uenit, que hic ponemus, ut pateat omnibus quam friuola sint ad propositum.

61) Dicunt enim, quod non sunt adhuc completa quedam, que fuerunt eis promissa in Sacra Scriptura, et debuerunt concurrere cum aduentu Messie. Et de multis quedam principaliora ponemus.

62) Afferunt enim, quod in aduentu Messie debent habere pacem, libertatem, et securitatem. Ista non habuerunt sed potius contrarium in aduentu Messie, ut patebit infra.

63) De pace, que promittitur eis in aduentu //233u// Messie, habetur Is. 25[,9]: «Et dicent(39) in die illa», scilicet in aduentu Christi «ecce Deus noster iste. Expectauimus eum et saluabit nos. Iste Dominus» etc. Item Is. 26[,1-3]: «In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda; urbs fortitudinis nostre Sion; saluator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas, et ingredietur(40) gens iusta custodiens ueritatem. Vetus error abiit; seruabis pacem; pacem quia in te sperauimus». Glossa:(41) «Bis dicit pacem propter pacem utriusque hominis, scilicet interioris et exterioris, ergo pacem pectoris et temporis». Et infra eodem capitulo [26,12]: «Domine, dabis pacem nobis» etc. Item Is. 27[,5]: «Faciet mihi pacem, pacem faciet mihi» etc.

64) Et debet esse tanta pax, ut dicunt, quod impleatur illud Is. 11[,6]: «Habitabit lupus cum agno, et pardus cum edo accubabit» etc. Et illud Is. 65[,25]: «Lupus et agnus pascentur simul. Leo et bos commedent paleas» etc.

65) Et oportet, quod sit pax diutina, donec impleatur illud Is. 2[,4]: «Et conflabunt gladios suos in uomeres, et lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad preium». Ista omnia non dum uenerunt, ergo nec Messias uenit adhuc etc.

66) Nec est responsio, quod ipsi habuerunt pacem pectoris licet non

pacem temporis, uel quod mundus ipse in aduentu Christi uniuersalem habuit pacem, quia et ante aduentum Messie habuerunt perfecti pacem pectoris ab initio mundi. Unde «Pax multa diligentibus legem tuam» [Ps. 118,165] etc. Sed iudeis promissa est pax perfectissima, pax interior et exterior, ut patuit supra: «Domine dabis pacem nobis» [Is. 26,12] etc., et Agg. secundo[,10]: «In loco isto dabo pacem, dicit Dominus» etc. `Nota ibi totum.'

## **De libertate.**

67) DE libertate autem et a seruitute et a tributo promissa eis in aduentu Messie patet in pluribus locis. Nam Is. 9[,1]: «Primo tempore alleuiata est terra Zabulon» etc. Et post Is. 9[,5]: «Omnis uiolenta predatio cum tumultu(42) erit in combustionem et cibus(43) ignis». «Paruulus natus est nobis» [Is. 9,6] etc. Item Is. 14[,1]: «Prope est ut ueniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur». Et loquitur de Messia. Et infra [Is. 14,4]: «Quomodo cessauit exactor, quieuit `tributum`?» Et cetera talia in pluribus //234r// locis.

68) Sed Christus mandauit soluendum «tributum cesari,» [Mc. 12,14; Lc. 20,22ss] et ipse soluit. [cfr. Mt. 17,26](44)

69) Ad pacem uero et libertatem perfectam sequitur summa securitas, que tamen promittitur iudeis in aduentu Messie. Unde Ier. 23[,5]: «Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, et suscitabo Dauid germen iustum, et regnabit rex» etc. Et sequitur [Ier. 23,6]: «In diebus illis saluabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter».

70) Addunt etiam multa similia, que debent fieri per Messiam, et non uiduntur eis esse completa in Christo, precipue quia Christus debet «regnare in Ierusalem» [Is. 24,23 ?] et «sedere super solium Dauid» [Is. 9,7] Christus autem non regnauit in Ierusalem, sed fuit contemptus et negatus a populo in Ierusalem, quod non erat rex, et crucifixus et mortuus etc.

## **Quod non habuerunt pacem sed guerram.**

71) QVod(45) autem iudei circa natuitatem Christi non habuerunt nec pacem, nec securitatem, nec libertatem, patet. Nam sicut dicitur in Historiis Scolasticis et superius etiam dictum est, cum regnum Iudee

fuisset interruptum a tempore Sedechie usque ad Aristobolum filium Iohannis Hircani, scilicet 475 annis, ipse Aristobolus, ut regnum sibi et sacerdotium usurparet, fame occidit matrem suam, que regnabat, et fratrem suum Antigonom gladio occidi fecit, imposuitque sibi dyadema, ut patet in Historiis Scolasticis in capitulo "Aristobolus" (46) etc. Cui Aristobolo successit Alexander frater ipsius constitutus a muliere, scilicet cognata sua, que regnabat. Qui Alexander occidit in sex annis, quibus regnauit, 50 milia iudeorum, ut patet in capitulo illo "Quo mortuo" (47) etc. Cui Alexandro successit Hircanus filius eius designatus a matre, que regnabat, sacerdos siue pontifex et rex, sicut patet in capitulo "Que dum regnaret" (48) etc. Contra quem surrexit Aristobolus frater ipsius, et pugnauerunt ad inuicem et diuisum est regnum iudeorum, quia contulerunt se ad romanos, et missus est Pompeius in Iudeam. Et obsedit Ierusalem et cepit eam, et stabulauit templum, et tunc facta est Iudea tributaria. Et inde secutum est, quod regnum Iudee deuolutum est ad extraneum, scilicet ad Herodem Ascalonitam crudelissimum, qui occidit innocentes iudeorum. Et ipse Christus cum matre //234u// et baiulo fugit in Egyptum.

72) Ecce quomodo imminente Christi aduentu iudei perdiderunt pacem, securitatem, libertatem; et regnum deuolutum est ad extraneum, scilicet ad Herodem inimicum et ydumeum.

73) Post Herodem autem regnauit Archelaus filius eius, et inde semper de malo in peius deuenit regnum iudeorum. Primo ad diuisionem, secundo ad totalem destructionem; ergo non uenit Christus, si Christus ut dictum est debebat eis dare pacem, libertatem, securitatem, et debebat restituere regnum Israel. Iстis ergo rationibus et auctoritatibus iudei pertinaciter tenent, quod nondum uenit Christus et si forte natus est, ut supra patuit.

74) Si uero diceretur omnino, quia natus est et uenit Christus, adhuc contendunt et dicunt, quia non fuit ille Christus, quem christiani putant, quia quedam inueniuntur fuisse in isto, que non debent esse in illo. Nam de Christo dicitur Is. 42[,1]: «Ecce seruus meus» etc. Et post [Is. 42,2]: «Non clamabit, nec audietur in plateis uox eius» (49) etc. Ihesus autem nec seruus conceditur fuisse, (50) «et stabat Ihesus et clamabat» etc. Io. 7[,37].

75) Preterea Deut. 21[,23]: «Maledictus a Deo est omnis, (51) qui pendet in ligno». Ihesus autem pependit in ligno.

76) Item Is. 42[,4]: «Non erit tristis» etc. Ihesus autem dicit de se:

«Tristis est anima mea usque ad mortem» [Mc. 14,34] etc. Hec et his similia inducunt, ut non inueniant saluatorem, sed excludantur a via salutis.

### **Solutio predictorum. Et primo ad illud "Non auferetur sceptrum."**

77) ET quia ista procedunt ex ignorantia uel potius ex certa malitia iudeorum, conemur hec omnia soluere pro modulo nostro, ut nobis non ualeant insultare de ignorantia Scripturarum. Magis autem sciant nos esse «paratos ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, que in nobis est fide et<sup>(52)</sup> spe». [I Petr. 3,15]

78) Quid itaque obicitur primo de illa auctoritate Gen. penultimo [49,10]: «Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat» etc., sciendum est, quod illa auctoritas habet difficultatem. Et ideo dissimiliter exponitur a diuersis doctoribus. Et certum est, quod in ebraica ueritate non totaliter sonat, sicut Ieronimus transtulit. Certum tamen est, quod Iacob intendit commendare tribum Iudam de aliqua excellentia usque ad aduentum Christi, et quia de illa tribu Christus natus est.

79) Hebrei sic habent: «Non recedet uirga de Iuda et legum//235r//lator de infra pedes eius, donec quod ueniat in Silo, ei congregatio uel obedientia populorum». Unde non habent "sceptrum", nec habent "de femore eius".

80) Augustinus autem in libro 16. De ciuitate Dei capitulo 44<sup>(53)</sup> dicit: «Non deficit princeps ex Iudea et dux de femoribus<sup>(54)</sup> eius, donec ueniant, que reposita sunt ei, et ipse erit expectatio gentium». <sup>(55)</sup> Et eandem auctoritatem tractat idem Augustinus libro 18. capitulo 45, ubi facit differentiam inter regem et principem siue ducem dicens, quod quicumque est rex, potest dici dux et princeps, et non econuerso.<sup>(56)</sup> Est igitur diligenter considerandum, utrum "sceptrum uel uirga" ibi accipiatur pro regia excellentia stricte et proprie, an pro duce et principe large, an pro aliqua excellentia communiter uel potius singulariter.

81) `Prima opinio.' Aliqui dicunt, quod sceptrum accipitur ibi pro regia dignitate proprie et stricte accepta, quod Glossa,<sup>(57)</sup> que est ibi et est inducta superius, que dicit: «Tam diu fuerunt reges in populo

illo de tribu Iudam, donec Christus de uirgine nasceretur».

82) Sed hoc non uidetur posse stare propter multa. Primo quia post predictam prophetiam «Non auferetur sceptrum» etc., populus iudeorum fuit sine rege 800 annis, scilicet a Iacob usque ad Saul.

83) Secundo quia Saul, qui fuit primus rex in populo et regno iudeorum, non fuit de tribu Iuda sed de tribu Benniamin, I Reg. 9[,1].

84) Tertio quia ultimus rex, qui fuit in populo iudeorum de tribu Iudam, fuit Sedechias, ut dictum est supra, qui fuit ante incarnationem quingentis annis et amplius.

85) Alii uero tres, qui fuerunt simpliciter ultimi reges in populo Israel et circa aduentum Christi, scilicet Aristobolus, Alexander, et Hircanus, non fuerunt de tribu Iuda sed de tribu Leui, ut patuit supra.

86) Reges etiam omnes, qui fuerunt de tribu Iuda exceptis duobus, scilicet Dauid et Salomone, non habuerunt de toto populo nisi duas tribus, III Reg. 11[,29-39]. «Et etiam omnes reges fuerunt mali et reliquerunt legem Altissimi», Eccli. 49[,5-6], «exceptis tribus ex eis». (58) Unde non uidetur ad alios proprie pertinere "sceptrum" proprie acceptum pro rege proprie et stricte, cum tamen et illud fuerit ablatum quingentis annis ante aduentum Christi, ut dictum est supra. Et sic nec poterit stare auctoritas illa «Non auferetur sceptrum» secundum illam expositionem etc.

87) Quidam tamen non //235u// reputant "ablatum sceptrum" ex eo, quod reges esse defierunt(59) de tribu Iuda. Sed quando fuit eis datus rex alienigena, tunc fuit sceptrum ablatum. Et hoc fuit in Herode ascalonita, sub quo natus est Christus, ut patuit supra.

## ‘Secunda opinio’

88) Alii uero dicunt, quod "sceptrum" non accipitur ibi stricte et proprie pro rege, sed communiter et large pro duce et principe, et quod iudei quasi semper habuerunt principes aliquos et rectores populi etiam in captiuitate babilonica; prefuit eis Daniel, qui secundum Iosephum et Epifanium fuit de semine regio Iude(60) etc.

89) Sed istud non uidetur plene sufficere ad exponentum auctoritatem propositam, quia primus et principalis dux iudeorum fuit

Moises, qui non fuit de tribu Iuda sed de tribu Leui, Exo. 2[,1] etc.

90) Et preterea Moises de mandato Domini fecit principes illos non solum de tribu Iudam, sed «singulos de singulis tribubus», Num. 13[,3].

91) Ipsi etiam Moisi princeps generalis successit Iosue, qui non fuit de tribu Iuda, sed «de tribu Effraim», Num. 13[,9&17] etc.

92) Iudices etiam, qui post eum rexerunt, fuerunt de diuersis tribubus, ut patet in libro Iudicum etc.

93) Sed et Machabei filii Mathatie, qui fuerunt duces et principes populi post reges, fuerunt sacerdotes de tribu Leui, I Mach. 2, de quibus etiam fuerunt ultimi et extremi reges, scilicet Aristobolus, Alexander et Hircanus, ut supra patuit. Sic ergo in istis omnibus non magnificatur Iuda, quam Iacob intendit excellenter et singulariter commendare in auctoritate proposita dicens: «Non auferetur sceptrum de Iuda» etc.

94) Nisi forte dicatur, quod etiam in Machabeis magnificatur tribus Iuda propter commixtionem tribuum, quia tribus leuitica et tribus Iuda, que est regia, semper inueniuntur affinitatem habere per commixtionem ad inuicem. Et hoc conueniebat Christo, qui debebat esse rex et sacerdos.

95) Hoc tamen diligenter attendendum, quod de mandato legis non esset attribuendus aliquis tribui matris sed patris. Verumtamen sicut dictum est superius, in hebreo non habetur «de femore Iude» immo ibi dicitur «de medio fratum(61)», //236r// id est de populo iudeorum, non deficiet ducatus et aliquod dominium, «donec ueniat» etc. Tunc enim sufficeret de quacumque tribu continuatio ducatus et dominii. (62)

96) Sed isto modo non esset excellentia Iude, quam Iacob intendit singulariter commendare, immo esset prerogatiua iudeorum communiter etc.

### ‘Tertia opinio’

97) Alii uero dicunt, «Non auferetur sceptrum» etc., quod "sceptrum" istud non significat reges proprie, nec duces et principes communiter,

sed fuit quedam potestas regiminis, quam habebant cenhedrin, id est illi iudices, qui semper ut dicitur in Talmud, ordinabantur per manuum impositionem, de quibus legitur Num. 11[,16]: «Congrega mihi 70a uiros de senioribus» etc.(63)

98) Isti ferebant sententias animarum et rerum, et iudicabant sedendo, et docebant populum leges. Eis credebat populus in omnibus. De hiis scriptum est [I] Par. 2 g [2,55]: «Cognitiones quoque scribarum»(64) etc. De hiis etiam dicitur Deut. 17.d [17,9]: «Qui indicabunt tibi» etc. «Sequeris sententiam eorum in omnibus secundum legem». [cfr. Deut. 17,11] Isti appellati sunt uirga, id est regimen populi.(65)

99) Creditur probabiliter, quod de istis fuerunt scribe et pharysei, qui iudicauerunt Christum. Hoc fuit «sceptra siue uirga» et potestas regiminis, que non «debebat auferri donec ueniret in Silo», id est Christus. Et hoc habetur ex multis glosis iudeorum et precipue in Talmud.(66)

100) Et certum est etiam apud iudeos, quod potestas eorum totaliter expirauit xl annis ante destructionem templi factam per romanos. Et hoc probat efficaciter frater Raymundus Martini in suo opere contra iudeos, quod appellauit Capistrum etc. Erat autem prophetatum, quod Christus debebat «uenire statim ad templum sanctum suum», quod fuit reedificatum per Hesdram et Zorobabel, Agg. 2[8]: «Ad huc unum modicum. Ego commouebo celum et terram, et ueniet desideratus cunctis gentibus» etc. Mal. ultimo [3,1]: «Statim ueniet ad templum suum domum» etc.

101) Iudei uero sic coacti dicunt eum natum fuisse ante templi destructionem, ut dictum est supra, sed dicunt, quod nondum "uenit", id est nondum manifestatus est.

102) Et est notandum, quod auctoritas quam habemus pre manibus exponendam, scilicet «non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat», non dicit "donec nascatur", sed "donec ueniat". Et //236u// Mal. ut supra: [3,1] «Statim ueniet ad templum» etc. Ad quod templum non potest ad modo uenire Christus, quod destructum est funditus per romanos. "Uenit" autem ad illud publice, et "statim" uenit, quando licuit ei secundum legem, scilicet quadragesimo die a natuitate, Lc. 2[,22ss]. Et fecit sibi cantari canticum per Simeonem et prophetari per Annam, Lc. 2[,29ss]. Et «Hec fuit magna gloria domus hec nouissime plusquam prime», Agg. 2[,10].

103) Querendum est igitur a iudeis, in quo fuit maior gloria illius domus nouissime plusquam prime, que edificata est per Salomonem, cum quasi nihil fuerint res(67) illius, Agg. 2. [cfr. 2,4] etc. In nullo enim potuit equiparari primo templo secundum, nec quantum ad edificationem, nec quantum ad ornatum et uasa.(68)

104) Sed in hoc fuit maior gloria secundi templi, quia Christus "uenit". Et statim uenit ad illud, Lc. 2. Et «In eo sedit docens» doctores etiam duodennis, Lc. 2 [cfr. Lc. 2,46].

105) Et conuicit eos esse indignos iudices, etiam adultere deprehense, Io. 8[,3f]. Et confutauit eos de questione de Christo, cuius filius est, Mt. 22[,41]. Et tunc euacuauit eos, dicens «super cathedram Moysi sederunt scribe». Nota: "Sederunt", Mt. 23[,2]. Et tunc dixit, quod «in templo non remaneret(69) lapis super lapidem», [Mt. 24,2] quod factum est per romanos etc.

106) Isti cenhedrin, isti principes et pharysei, postea iudicauerunt Christum. Et quia male iudicauerunt, iussi sunt interfici. Et nunquam postea sederunt nec iudicauerunt. Probat autem frater Raymundus Martini per scripturam hebreorum in suo libello, quem appellauit capistrum ad capiendos iudeos, quod hec cessatio iudicum fuit xl annis ante destructionem templi factam per romanos.(70)

107) Hec etiam cessatio(71) principatus denuntiata est per Paulum magnum legistam et phariseum, qui cum diceret principi sacerdotum «Percutiet te Deus paries dealbate» et reprehenderetur, ait: «Nesciebam, quia princeps est sacerdotum», Act. 23[,3-5], quasi dicens "non est princeps sacerdotum,(72) sed paries dealbatus." Cognoscebat tamen Paulus personam, sed non officium, quia iam cassum erat etc. Ergo cum debuerint durare usque ad Christum, est necesse de duobus unum esse, aut prophetam esse mentitum aut Christum uenisse tunc.(73)

108) 'Quarta opinio.' Aliqui //237r// uero dicunt, quod illud "sceptrum non" auferendum ante aduentum Christi, non fuerunt reges, nec duces, nec iudices, sed quedam preeminentia et excellentia in magnificis actibus, quam habuit tribus Iuda.

109) Nam tribus Iudam prima intravit mare rubrum post Moysen aliis omnibus hesitantibus, Exo. 14. ystorum.(74)

110) Summus archyTECTUS tabernaculi de tribu Iuda, Exo. 31[,1ss] etc.

- 111) Prima obtulit in tabernaculum, Num. 7.b. [7,12] etc.
- 112) Prima mouit castra, Num. 10.b. [10,13-14] etc.
- 113) Prima pugnarit contra cananeos, Iud. 1.a. [1,1-2] etc.
- 114) 'Prima fuit ad pugnandum contra filios Beniamin pro scelere  
ulciscendo, Iud. 20[,18].'
- 115) Primi principes<sup>(75)</sup> fuerunt ad reedificandum templum, Esdr. 1.a.  
[1,5] etc.
- 116) Et semper fuerunt ibi, id est in tribu Iudam, uiri digni principatu  
et honore, sicut Dauid [qui]<sup>(76)</sup> etiam puer occidit Goliam gigantem,  
I Reg. 17[,4ss] etc.
- 117) Post aduentum autem Christi nulla notabilis excellentia  
inuenitur in tribu Iudam, et precipue in captiuitate facta per romanos  
commixte sunt tribus, quia disperserunt eos et uendiderunt,  
uidelicet<sup>(77)</sup> 30 pro uno denario, et non curauerunt, de qua tribu  
essent; ita quod nulla excellentia potest modo notari in aliqua tribu,  
tum quia commixte, tum quia uilissime sunt in omnibus populis etc.

### 'Quinta opinio'

118) Iudei uero sic conuicti, cum non possint respondere ad ista, nec  
uelint confiteri Christum uenisse, dicunt quod illa auctoritas «Non  
auferetur sceptrum» etc. non sonat ita in hebreo. Dicunt enim, quod  
non habent "sceptrum", sed "uirga et sebeth", id est non recedet  
circumcisio et sabbatum, quin ista duo sint in populo iudeorum,  
donec ueniat Christus. Et quia ista duo adhuc obseruant, argumentum  
est quod nondum uenit Christus etc.

119) Sed istud nec apparentiam habet. Iacob enim ut sepe dictum est,  
intendit in illa auctoritate commendare singulariter et excellenter  
tribum Iudam, non populum iudeorum communiter. Tribus autem  
Iudam numquam se habuit aliter ad circumcisionem et sabbatum  
quam alie tribus, et ideo non ualeat exceptio.

120) Et preterea iudei etiam in communi 'aliquando' perdiderunt  
circumcisionem et sabbatum, et prohibiti sunt seruare legem et  
sabbatum et circumcisionem, et contaminatum est templum etc., I

Mach. 1 [cfr. I Mach. 1,48&51] et II Mach. 6[,6]: «Neque sabbatum //237u// custodiebantur, necque circumcisio, nec<sup>(78)</sup> simpliciter se quisquam iudeum confitebatur».

121) Et preterea frater Raymundus Martini probat in suo libello, quod ipsi iudei mutauerunt puncta et litteras, quia aliter scribitur "sebet" et "sabat" pro uirga et pro sabbato.<sup>(79)</sup> Unde manifestum est, quod ipsi de industria recesserunt a Deo. Dominus enim eos reseruat ad confirmationem fidei, ut sciat mundus, quod nos de nostro non confinximus ea, que dicimus prophetas de Christo scripsisse, Augustinus, De ciuitate Dei libro 18 capitulo 45 etc.<sup>(80)</sup>

122) Et quia predicta auctoritas difficultatem habet, «Non auferetur sceptrum donec ueniat», dicit Augustinus, De ciuitate Dei libro 16 capitulo 44,<sup>(81)</sup> quod «clarius est uidendo quam exponendo».

123) Ipse autem Augustinus ibidem dicit, quod non defuerunt reges et principes ab illa stirpe in populo iudeorum, donec ueniat etc. Postea, libro 18, dicit, quod non defuerunt reges in populo iudeorum donec ueniat etc.

124) Enumeratis igitur pluribus opinionibus super auctoritatem difficilem,<sup>(82)</sup> prudens et pius lector eligat illam, que uideatur magis catholica, et intellectum suum conformet Sacre Scripture. Nunquam uero Sacram Scripturam trahat ad suam imaginationem. Non enim est magnum, quod Sacra Scriptura nostrum intellectum excedat. Sic igitur patet solucio ad primum, scilicet ad illud, quod iudei obiciebant contra prophetiam Iacob.

### **Solucio de Danihele de septimanis.**

125) SEquitur secundum, scilicet illud quod obiciunt contra reuelationem Dan. 9 de septimanis. Et soluendum est per interpretationem.

126) Nam Daniel et fuit ueridicus propheta, et intellexit que dixit, maxime de incarnatione et septimanis, sicut patet ibi in textu per Gabrielem. Ita enim dixit Gabriel, Dan. 9[,22-24]: «Danihel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres». Et post: «Tu animaduerte Simonem, et intellige uisionem. Septuaginta ebdomades» etc. Et illa, que ibi dixit, sunt in hebraica ueritate. Dicit

tamen Ieronimus,(83) quod inuenit Danielem scriptum hebraicis litteris, sed caldaico sermone. Unde et maximam difficultatem habet.

127) Ad illud uero, quod inducunt, quod non sunt septimane annorum sed iubileorum uel centenariorum, hoc non dicunt, nisi ne cogantur confiteri Christum uenisse.

128) Certum tamen est per experientiam, quod ibi accipitur annus pro die. Nam cum Daniel prophetauerit //238r// de reparatione domus Dei fienda per Esdram, que fuit postea in xl et nono anno, qui sunt septem septimane annorum, ut supra expositum est; ergo et alie septimane, quibus prophetauit de aduentu Christi, fuerunt septimane annorum, quod experientia monstrauit.

129) Alicubi etiam Sacra Scriptura posuit et exposuit diem pro anno, Eze. 4[,6]. In nullo tamen loco nec posuit nec exposuit diem pro iubile, nec minus pro centenario annorum. Et ideo uana est iudeorum obiectio.

130) Notandum uero, quod licet Beda,(84) Ieronimus, et Tertullianus, et Africianus in aliquo differunt quam ad interpretationen(85) "70 septimanum", tamen omnes concordant, quod sunt septimane annorum, et quod complete sunt in destructione facta per romanos. Unde siue inceperint a licentia data per Darium, siue ab actuali edificatione facta sub Cyro, certum est, quod a reedificatione facta per Neemiam usque ad destructionem Ierusalem per Titum, Christus uenit. Et de hoc principaliter agitur.

131) Quomodo autem computentur anni tres, quibus Christus predicauit, uel quadraginta a passione usque ad destructionem per Titum, + quibus iudeos expectauit, + parum facit ad factum, quia manifestum est, quod iudei postea nec regem, nec sacerdotem, nec principem, nec prophetam habuerunt, 'qui prophetaret aduentum Christi; ergo Christus uenit.

132) Differentia etiam, quam facit Sacra Scriptura inter Christi nativitatem et eius apparitionem uel aduentum, dicens: «apparebit in finem» etc., non est differentia inter incarnationem uel nativitatem Christi et eius aduentum, quasi Christus iam sit natus, sed nondum "uenit", id est non dum est manifestata eius incarnatio uel nativitas, sed est differentia inter aduentum in carnem(86) et aduentum ad iudicium, quia ille fuit occultus et in medio annorum, iste erit manifestus et in fine seculi. Et sic patet solutio ad secundum.

## Solutio de captiuitate.

133) AD illud uero quod tertio dicebant, quod presens captiuitas est propter peccata solita uel etiam minora, dicendum est, quod hoc nec apparentiam habet, scilicet quod propter peccata minora uel etiam equalia tam grauius punirentur. //238u// Sed grauiora non commiserunt nec equalia, sicut supra patuit, nisi quia occiderunt Christum. Et propter hoc acerrime incomparabiliter affliguntur, quia occiderunt Christum.

134) Quod dupli ratione potest ostendi. Primo ex parte temporis, ut dictum est supra.

135) Secundo quia de omni alio peccato penitent, sed de isto nec penitent nec recognoscunt. Quod si facerent, Deus eis pie remitteret, sicut promisit eis, Deut. 30.a [cfr. Deut. 30,1-3]: «Cum uenerint super te omnes sermones isti, benedictio siue maledictio, quam proposui in conspectu tuo, et ductus penitudine cordis, [et](87) reuersus fueris ad Dominum; reducit te Dominus Deus tuus de captiuitate tua ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit» etc.

136) Nec potest dici, quod propter peccata parentum puniantur in captiuitate, quia illud antiquum proverbum Ier. 31[,29] reuocatum est: «Patres comederunt uuam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt» etc.; Ez. 18[,2]: «Filius non portabit iniquitatem patris» etc. Et sic patet solutio ad tertium. `Cum autem perfecte conuertentur ad Christum, liberabuntur de captiuitate, Ier. 29[,13]: «Queretis me, et inuenietis, cum quesieritis in toto corde uestro».`

## Solutio ad alia.

137) AD illa uero, que postea inducebant iudei, quod in aduentu Messie debent habere pacem, securitatem, et libertatem, que non habuerunt, et quod Christus debet regnare in Ierusalem, sciendum est, quod pax fuit quidem iudeis promissa et multa alia, que non fuerunt eis postea data, quia se indignos et ingratos reddiderunt. Est autem consuetudo Sacre Scripture, quod illa que promittuntur dignis, postea subtrahuntur indignis. Sicut ante diluuium promisit Deus Nohe, quod

expectaret mundum «centum xxi» annis, postea subtraxit xxi. Et Heli sacerdoti promisit, quod «domus sua ministraret ei in sempiternum», postea totaliter ei subtraxit cito, I Reg. 2[,30] etc.

138) Pax autem fuit promissa iudeis cum incarnatione. Sed non fuit promissum, quod cum tempore incarnationis concurreret pax temporis. Nec Christus eam habuit, nec suis promisit, sed dixit: «In mundo pressuram habetis». [Io. 16,33]

139) Incarnatio uero est causa perfectissime pacis. Unde scriptum est: «Orietur in diebus eius iustitia et habundantia pacis». [Ps. 71,7] Que est tantum bonum, //239r// quod nullus eam potest consequi in uita presenti, ut asseret Augustinus De ciuitate Dei libro 17 capitulo 13.

(88) Hanc habebunt omnes ueri iudei, id est confitentes non littera sed spiritu, que est pax israelite, id est uidentis Dominum etc.

140) Sed dicit Augustinus ibidem de perfecta securitate: «Nam omnis uiator in quo talis potest deuiare, et ideo cogitur timere».

141) Hoc idem dicit Augustinus ibi de perfecta libertate et ab omni seruitute et etiam a tributo:

142) «Locus ergo iste, qui promittitur pacate ac secure habitationis, eternus est eternisque debetur in matre Ierusalem libera, ubi erit ueraciter populus Israel; hoc enim nomen interpretatur "uidens Deum"», et illa est uera Ierusalem. Ibi erit uerissima restitutio regni Israel.

143) Ista autem Ierusalem terrestris, in qua regnauit Dauid, est Ierusalem figuralis et typica. Que multotiens destructa est, nec unquam perfectam habuit pacem. In qua Christus non regnauit 'nisi in ligno', sed timuit et mortuus est.

144) Nec fuit Christo promissum, quod in ea regnaret uel quod in solio Dauid sederet, sed «super solium Dauid» etc., uel quod magnum denique promittitur ei, «qui sedet super cherubym», quem propheta «uidit sedentem super solium excelsum et eleuatum», sedere in solio Dauid patris eius, uel in Sion. In quo etiam impiissimus Manasses regnauit 55 annis, IV Reg. 21[,1]. Nam Dauid sedet in Sion et sedet in solio, Christus autem «super Sion» et «super solium Dauid, et super regnum eius, ut confimet illud usque in sempiternum», Is. 9[,7]. Solium Dauid fuit temporale. Et quomodo potuit in sempiternum confirmari, quod ideo dicitur fuisse Dauid,

quia in quam sedebat Dauid, illius gerebat imaginem; Christus autem in uita presenti tributum soluit, Mt. 17[,26], soluendum determinauit, Mt. 22[,21].

145) Libertas igitur et securitas et pax, que promittitur inter lupum et agnum et uitulum et leonem, non litteralem sed spiritualem facit intelligentiam. Quod ostendit idem Is. 11[,6] dicens: «Habitabit lupus cum agno, uitulus et leo» etc., «quia repleta est terra scientia Domini» [Is. 11,9] etc. Sed que causa est, quia "lupus et leo" habent pacem "cum agno et uitulo", "quia repleta est terra scientia Domini"? Nam neque magistri neque studentes proficere ad hoc //239u// intendunt in scientia, ut "agnus et uitulus secure habitent cum lupo et leone". `Bos autem comedit paleas, etiam si mundus non habat pacem. Leo uero paleas non commederet, licet totus mundus esset in pace. Unde patet, quod ipsa littera mittit nos ad sensum spiritualem, sicut dicit Gregorius. ` Nec lupus et leo eis crederent, si magistri et studentes ad hoc eis inducerent rationes demonstratiuas.

146) Impletur autem hoc non historialiter sed spiritualiter ex predicatione fidei, quando impotens et innocens securus et unanimiter habitat<sup>(89)</sup> cum eo, qui fuit tyrannus et persecutor. Sicut Saulus, qui ante lupus, baptisatus est ab Anania, [Act. 9,17s] qui interpretatur ouis; et Constantinus a Siluestro etc.<sup>(90)</sup> Iudeus autem litteraliter hanc pacem non percipit, nec etiam intelligit, quia adhuc faciem Moysi cornutam attendit, Exo. 34[,29]. Non est igitur mirum, si iudei non intelligent, quia uelamen est positum super cor eorum. «Cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur uelamen», II Cor. 3[,16].

### **‘Solucio ad alia’**

Ad alia que inducunt, quod non fuit ille [Messias]<sup>(91)</sup>.

147) Sciendum, quod Ihesus nazarenus fuit ille saluator prenuntiatus et expectatus. Ad primum in contrarium dicendum est, quod licet ‘Christus` non possit dici "seruus" simpliciter, sicut nec "creatura" propter suppositum eternum, potest tamen dici seruus et creatura quantum ad humanam naturam.

148) Ad aliud dicendum est, quod Christus "clamauit" in oratione et predicatione, quod est uirtutis, non tamen fuit clamosus uel contemnosus uel querulosus.

149) Ad tertium dicendum est, quod illa "maledictio" intelligitur de maledictione pene uel reputatione propter orribilem mortem, non de maledictione culpe.(92) Non enim prophetauit Moyses, quod omnis qui ponitur in ligno sit malus. Apostolus autem dicit ad Gal. 3[,13]: «Quod Christus factus est pro nobis maledictum». Glossa: «Plus est, quam si dixisset maledictus».(93)

150) Ad quartum dicendum est, quod Christus non fuit "tristis", sed lete conuersationis. Nam sapiens tristatur, quando debet et quantum debet. Christus autem et tristitiam et alias passiones non contraxit, sed assumpsit quantum uoluit et quando uoluit, Io. 11[,33]: «Turbauit semetipsum» etc. Verum igitur dicunt iudei, quod "Christus natus est", sed nondum "apparuit", quia eis non apparuit, id est non aperuit eis sensum, ut inteligerent Scripturas. Sicut cecus potest uere dicere: "Ortus est sol, sed ego eum non uideo", ergo cecus //240r//(94) Is. 42[,19]: «Quis cecus, nisi seruus Domini».(95)

### Ostensio per experientiam.

151) ET quia iudei ceci sunt et Christum uerum solem uidere non possunt; suaderi tamen potest presentia solis ceco per experientiam caloris et uitutum. Nec enim est, qui se abscondat a calore eius, faciamus iudeis, quod dixit Is. 43[,8]: «Educ foras populum cecum» etc. Ex quo non possumus eis ostendere solem in domo per oculum Scripturarum, educamus eos foras ad opera, que fecit Christus, et ostendamus eis per experientiam Christum iam uenisse, et quod ipse est uerus Deus.

152) Talia [enim](96) fecit Christus in mundo et sui in nomine ipsius, qualia solus Deus potest facere. Scripta tamen erant de Christo ut faceret, et manent in suis effectibus. 'Unde non oportet quod iteren[tur].(97)`

153) Nam subiecit sibi omnia regna, Dan. 2, et omnia loca. In omnem terram exiuit so. e. Omnes ritus, omnes linguas, Is. 45, Dan. 7[,14]: «Omnis populi, tribus, et lingue seruient ei». Nam non solum christiani boni sed etiam mali, sed et saraceni, qui habent pessimam legem, et tartari et pagani, qui nullam habent legem, omnes dicunt legem christianorum esse sanctissimam.(98)

154) Ihesus Christus nouus homo induxit omnia noua promissa et

prefigurata +tamen+ antiquitus. Unde nouum baptismum, nouum testamentum, *Ter. 31[,31]*, nouum templum, *I Reg. 7 [I Reg. 6&7?]*, nouum sacerdotium, *Melchisedec*, nouum cultum, nouum ritum, nouum populum, *Is. 54*, nouum nomen, *Is. 64 [Is. 65,15]*: «Vocabit seruos suos nomine alio», scilicet christiano, nouum uexillum, nouum bellum, *Iud. 5[,8]*, nouum stipendum, *Tim. 1*, (99) nouum regnum celorum, (100) nouum preceptum, scilicet: Diligere inimicum, contempnere mundum, et reddere bona pro malis. Hec omnia fecit Christus solus sine adiutorio. Non enim uoluit adminiculum, nec mundane potestate, nec philosophice sapientie, nec terre diuitie.

155) Nam in die, qua natus est, adorauit eum Rome Cesar, mundi monarcha, orientales reges et magi uenerunt ad eum, et remisit eos per aliam uiam in regionem suam. Abagarus rex et toparcha inuitauit eum circa passionem suam, et noluit ire.

156) Sed accepit et elegit sibi de mundo quosdam discipulos, paucos, simplices, pauperes //240u// contemptibiles, impotentes, qui inuocato ipsius nomine totum mundum subdiderunt suis preceptis.

157) Hoc autem factum est non subito, non casu, non uiolentia, non astutia, sed Dei beniuolentia.

158) In Ierusalem destructum est solempnissimum templum iudeorum.

159) Rome adnihillata sunt templa deorum.

160) In Grecia tacent secte philosophorum. Hec autem facta sunt in mundo per ueritatem Scripturarum et euidentia signa, et manent in suis effectibus. Essent autem omnibus signis mirabilius, si absque miraculo procurata fuissent. Nam tam stabile templum edificauit Christus in mundo per simplices et impotentes, quod nec potentes a seculo destruere possunt, scilicet templum fidei. Hoc templum non potuit edificare Dauit cum tota sua regia potestate, nec Salomon cum sapientia infusa. Hedificauit autem Salomon quoddam templum figurale, quod destructum est, templum autem fidei uerum et stabile edificauit Christus per simplices et impotentes discipulos suos, ut dictum est. Qui inuocato Christi nomine fecerunt eadem miracula(101) de resuscitatione mortuorum et aliis stupendis operibus, que fecerat ipse. Unde dictum est II Reg. 7[,5&11]: «Non tu edificabis mihi domum, predicitque tibi Dominus, quod domum faciat

tibi Dominus» etc. Et quando hec domus, scilicet fidei, cepit sollempniter edificari, domus illa figuralis corruit. Et sicut predixerat Is. 65[,15]: «Vocauit seruos suos alio nomine»,<sup>(102)</sup> scilicet christiano. Nam mutauit iudeos in christianos.

161) Hii sunt christiani, qui dicunt Christum uenisse et ipsum Christum esse uerum et solum Deum, qui uiuit et regnat in secula seculorum.

### **Epilogatio et conuenientia de Scriptura et experientia.**

162) Sic itaque, dum experientia, quam cernimus, per omnia concordat cum scriptura iudeorum, quam legimus, coguntur iudei ad ueritatem redire. ´Nec habent aliquam excusationem, quia non recipiunt nouum testamentum et Christum, eo quod lex uetus promittit utrumque, scilicet nouum testamentum et Christum et euangelium. Nam et Christus remittit iudeos ad scrutiniam scripturarum, Io. 5[,35]: «Scrutamini scripturas». Et Paulus in omnibus arduis remittit ad uetus testamentum, Rom. 1[,2]: «Quod ante promiserat per prophetas suos» etc. Item Zach. 8[,9]: «Sicut locutus est per os sanctorum». Et uirgo Maria. «Sicut locutus est ad patres nostros, Habraham» [Lc. 1,55] etc. `

163) Prophetatum namque erat, quod Christus debebat incarnari et temporaliter nasci:

164) Ex semine Habrae, Gen. 12[,7].

165) De tribu //241r// Iuda, Gen. penultimo.

166) De domo Dauid: «Iurauit Dominus Dauid» [II Reg. 3,9].

167) De quali muliere? Quia de uirgine, Is. 7[,14]: «Ecce uirgo concipiet».

168) Quando ueniret? Dan. 9[,24]: «Septuaginta ebdomades» etc.

169) Ubi nasci? In Betlehem Iude, Mich. 5[,2].

170) Unde uocari? «Ex Egipto uocaui», Os. 11[,1].

171) Ubi educari et nutriri? «In Nazaret», Is. 11[,1] secundum aliam litteram:<sup>(103)</sup> «Egredietur uirga» etc.

172) Qualiter conuersari? «Non erit tristis nec turbulentus», Is. 42[,4].

173) Ubi mori? In Ierusalem.

174) Qua morte? «Turpissima», Sap. 2[,20].

175) Quando resurgere? «Tertia die», Os. 6[,3].

176) Unde ascendere in celum? Zach. 13 [Zacc. 14,4]: 'De monte oliuiarum.

177) Ubi dare legem nouam et legis intelligentiam? Is. 2[,3]:` «De Sion exibit lex, et uerbum Domini de Ierusalem». Et quia predicta duodecim uel quattuordecim sunt essentialia fidei christiane et perfectissime conuenerunt in Christo Ihesu, qui est sol iustitie; O uos iudei ceci! Nolite alium expectare, sed «accedite ad eum et illuminamini, et facies uestre non confundentur».(104)

178) Et iam non restat nisi unum fiendum per Christum, scilicet ultimum et generale iuditium, quod erit «in ualle[m] Iosaffat», Ioel 2 [Ioel 3,12]. Et tunc «cognoscetur Dominus iudicia faciens», [Ps. 9,17] qui modo ignoratur iniuriam patiens.

## Error Iudeorum de trinitate.

179) ET licet principalis error iudeorum sit de Christo, quia dicunt, quod nondum uenit nec est uerus Deus, ut dictum est, nihilominus sciendum est, quod ipsi errant in pluribus aliis et precipue de mysterio trinitatis et de resurrectione mortuorum.

180) De trinitate satis quidem concedunt unitatem essentie, quia tota lex clamat: «unum esse Deum» et non plures, sed pluralitatem et distinctionem personarum non credunt. Et non aduertunt, quod lex ipsa statim in primordio sui aliquam pluralitatem in Deo ostendit. Nam ubi nos habemus «In principio creauit Deus celum et terram», (105) ubi nos habemus "Deus" in singulari, ipsi habent "eloym", quod //241u// sonat tam i plurali quam in singulari, scilicet "Deus" uel "Dii", "Dominus" uel "Domini". Et statim fit ibi mentio de Spiritu Sancto, quia «Spiritus Dei ferebatur super aquas». Statim uero in eodem capitulo pluralitatem personarum et unitatem essentie manifeste ostendit dicens: «Faciamus hominem ad imaginem et

similitudinem nostram», hec est vox Patris ad Filium, per quem fecit omnia; uel consilium totius trinitatis ad inuicem, et non vox Dei ad angelos, ut iudei et sarraceni mentiuntur. Non enim factus est homo ad imaginem angelorum, sed «ad imaginem Dei», ut ibidem ostenditur dicens: «ad imaginem Dei creauit illum» [Gen. 1,27] etc.

181) Similiter etiam de resurrectione mortuorum iudei non recte sentiunt. Ponunt quidem resurrectionem sed ad istam eandem uitam, et «quod commedent et bibent», et «terram promissionis habitabunt et incolent» sicut prius. Hec dicunt, quia in lege fit mentio, quod «commedent et saturabuntur» [cfr. Dt. 14,29] post resurrectionem, et obseruatoribus legis promiscitur «bona terre commedetis». Et non aduertunt iudei figuram et allegoriam, cum non solum uerba sed etiam plura facta ueteris testamenti figuralia fuerint.

182) 'Quod iudeis necessaria est allegoria.' Talia enim eis proponit, quarum corticem rodere non possunt, Is. 1[,2]: «Audite celi, et auribus percipe terra» etc. Neque enim prophete locuntur, ut "celi audiant", neque credunt, quod "terra habeat aures", neque «montes exultauerunt [sic]ut arietes, neque colles ut agni ouium» [Ps. 113A, 4] etc. Sed ipse defectus littere ad allegoriam transmittat, ut dicit Gregorius. Moyses autem dixit, que necessaria erant dicenda pro tempore illo, quedam uero reseruauit dicenda clare per Christum tamquam principalem. Unde dixit Deut. 18: «Prophetam suscitabit Dominus Deus. g. u. tamquam(106) me ipsum audietis».

183) Unde et Christus, quem Pater celestis designauit audiendum esse, clare dixit de trinitate et de resurrectione et de omnibus aliis tempore gratie reuelate.

Explicit de iudeis.

184) //241r// DE saracenis autem nihil amplius addo ad illud, quod scripsi in illo tractatu "Quot sunt dies serui tui", vbi per legem eorum confutatur lex ipsa.

## Endnotes

1 pnt

2 DcD book 16 contains only 43 capitula.

3 orz

4 This is not in the Glossa ordinaria, but is probably quoted from RM CI 2,21 (7-8)

5 ystorias ?.

6 Cfr. Petrus Alphons, Dialogus, titulus 9, col. 624-639.

7 RM explicitely argues against the notion that Cyrus was Messias, cfr. CI 4,14-15, and 4,28.

8 ms: aduentu.

9 patet ?

10 i.e. LXX.

11 Vulg: Si non credideritis, non permanebitis.

12 Hier. Prologus in Pentateucho, p. 3.

13 ms: vn

14 i.e. LXX

15 De loco incerto. Petrus Comestor Historia Scolastica, col. ?

16 not Glossa ordinaria?

17 vulg: dominator.

18 t

19 eius suppl.

20 Hieronymi In Matheum, p. 209: «Interrogatio Iesu nobis proficit usque hodie contra Iudeos. Et hi enim qui confitentur Christum esse venturum, hominem simplicem et sanctum virum adserunt de genere David.

Interrogemus ergo eos docti a Domino: Si simplex homo est et tantum filius David, quomodo David vocet eum Dominum suum, non erroris incerto nec propria uoluntate, sed in Spiritu Sancto.»

21 The following from Hier., ibidem.

22 which begins: Dixit Dominus Domino meo. Difculty to understand without Hieronymus, who explicitely refers to Ps. 109.

23 Exact reference.

24 ibidem.

25 ms: ad.

26 vulg: perhibent.

27 ms: Ypaniam.

28 Glossa ordinaria, I p. 108; probably quoted from RM CI 2,21 (7-8).

29 Paragraph 52-54 is a rendering of the content of Petrus Comestor Historia Scolastica, libri Machabæorum, col. 1525-1538.

30 scilicet ?

31 seq. ms: Aristobolum. Pretulit igitur Alexandra Hyrchanum. has been deleted in ms.

32 ms: Ascaloniata.

33 Exact reference.

34 Prologus in Danihele propheta, p. 1341.

35 posui uel not in Vulg.

36 Paraphrase of RM CI 2, 11.

37 tantum ?

38 RM CI 2, 13.

39 vulg: dicet.

40 vulg: ingrediatur.

41 not Glossa ordinaria.

42 et vestimentum mistum sanguine seq. vulg.

43 cibus vulg., ms: cibum <?>.

44 ms seq: set; del. in ms.

45 ms: quot.

46 Historia Scolastica col. 1525-1526.

47 Historia Scolastica col. 1527.

48 ibidem.

49 vulg: Non clamabit, neque accipiet personam; nec audietur vox eius foris.

50 A nec and something seems to be missing.

51 omnis not in vulg.

52 fide et not in vulg.

53 There are not more than 43 chapters in lib. 16.

54 ms: fomoribus.

55 Maybe Augustinus D c D lib. 16, cap. 41: «Ipse igitur est, in quo reposita erant promissa Iudei, quae donec uenirent numquam principes, hoc est reges Israel, ab illa stirpe defuerunt. Et ipse expectatio gentium; quod clarius est uidendo quam exponendo.»

56 «... qui rex est possit dici princeps a principatu imperandi et dux eo, quod sit dux exercitus; sed non continuo, quicumque principes uel duces sunt, etiam reges dici possunt.» De ciuitate Dei 18, 45.

57 Glossa ordinaria I, p. 108, probably quoted from RM CI 2,21 (7-8).

58 Vulg: Praeter David, et Ezechiam, et Iosiam, Omnes peccatum commiserunt; Nam reliquerunt legem Altissimi reges Iuda.

59 desinent ?

60 Petrus Comestor Historia Scolastica col. 1447.

61 RM: de infra pedes eius; as Riccoldo wrote himself ut supra.

62 RM CI 2,24 (20-21).

63 RM CI 2,4 (5-9).

64 RM CI 2,4 (19-20).

65 RM CI 2,6 (2-3).

66 in Talmud both in the text and in the marginal note.

67 respectu ???

68 Cfr. RM CI 6,3 (1-3).

69 Vulg.: relinquetur.

70 crf. RM CI 2,24 (34-38).

71 ms: cassatio.

72 ms. adds superfluously: Act. 23, quasi dicens "non est princeps sacerdotum."

73 Cfr. RM CI, R2,10

74 ystorum? There is no mentioning of Juda in Exo. 14, so "sytorum" is probably a reference to Petrus Comestor Historia Scolastica, col. 1158:  
«Cumque timuissent intrare Reuben, Simeon et Levi, Judas primus agressus

est iter post eum [scl. Moysen], unde et ibi meruit regnum.»

75 ms: princeps.

76 qui suppl.

77 ms: uiriliter <?>.

78 nec not in vulgata.

79 Cfr. RM CI, 2, 16.

80 Not verbatim, cfr. 18,46 !

81 16,41.

82 ms.: auctoritate difficili.

83 Prol. in Danihele, p. 1341; or quoted from Petrus Comestor Historia Scolastica col. 1447.

84 The following with references from RM CI 4,6 rather than from Petrus Comestor Historia Scolastica col. 1460.

85 ms: inceptionem.

86 ms: carne.

87 et suppl.

88 exact reference, not verbatim.

89 ms: hiiitat

90 RM CI fol. 63r-u has this example with Constantinus in the same context, but without mentioning Saul and Anania.

91 Messias suppl.

92 mal. pene et culpe, cfr. RM.

93 not Glossa ordinaria; cfr. introduction.

94 ms. repeats: ergo cecus.

95 Vulg: Quis cecus, nisi seruus meus.

96 ms: eam.

97 tur suppl.

98 cfr. RM

99 Very uncertain reading, and stipendum is not in Tim.

100 celorum added sup. lin. by Riccoldo, although it already is in the text.

101 ms: mirala

102 vulg: servos suos vocabit nomine alio.

103 i.e. LXX; but Is. 11,1 does not mention Nazareth.

104 de loco incerto.

105 ubi nos ... terram repeated in ms, del. in ms.

106 g.u. tamquam me not in vulg.

---

**November 1997, Kurt Villads Jensen, e-mail [kvj@hist.sdu.dk](mailto:kvj@hist.sdu.dk).**

Web-design: stud.mag. Jens Frost Thuelund, IT-funktioner, humaniora, e-mail [jft@sigma.sdu.dk](mailto:jft@sigma.sdu.dk).